

ORATIO II.

A

Auxilientur nobis, pie Domine Jesu Christe, omnes passiones tuæ, et defendant nos ab omni dolore et tristitia, ab omni periculo et miseria, ab omni peccato et cordis immunditia, ab omni scandalo et infamia, a morbis malis animæ et corporis, et a morte subitanea et improvisa, et ab omni persecutione inimicorum visibilium et invisibilium, scimus enim quod in quacunque hora vel die passionis tuae memoriam habuerimus, salvi erimus: ideo de immensa tua pietate confisi te deprecamur, piissime Salvator, per benignissimas sacratissimasque passiones tuas, ut benigno nos protegas auxilio, et continua pietate ab omni malo nos conserves. Qui vivis, etc.

ORATIO III.

Domine Deus de Deo, lumen de lumine, qui humnanum genus ex præcepto Patris patibulo crucis proprio sanguine redimere dignatus es, te suppliciter exoramus, ut non secundum peccata nostra facias nobis, sed secundum misericordiam tuam salvos fac nos indignos famulos tuos: tu quoque exsurge in adjutorium nostrum, et esto nobis turris fortitudinis, et clypeus inexpugnabilis justitiae, a facie tam corporalis, quam incorporalis inimici, atque ab omni peccato et poena misericorditer nos libera, et ab omni adversitate corporis et animæ clementer nos defende. Qui vivis, etc.

INNOCENTII III PAPÆ

Orationes tres de omnibus sanctis, pro defensione et tranquillitate catholicæ et orthodoxæ Ecclesiæ.

—
ORATIO I.

A cunctis nos, quæsumus, Domine, mentis et corporis defende periculis, et intercedente beata et gloria virgine Dei genitrici Maria: cum beatis apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato N. et omnibus sanctis, salutem nobis tribue benignus et pacem, ut destructis adversitatibus et erroribus universis, Ecclesia tua secura tibi serviat libertate. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO II.

Exaudi nos, salutaris noster, ut per unigeniti Filii tui sacratissimæ passionis virtutem a cunctis nos mentis et corporis hostibus tuearis, gratiam

B tribuens in præsenti, et gloriam in futuro. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO III.

Mundet et muniat nos, quæsumus, Domine, unigeniti Filii tui pretiosissimus sanguis effusus et tibi oblatus in cruce, et intercedente beata virgine Dei genitrici Maria, cum beatis apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato N. et omnibus sanctis, a cunctis nos reddas et perversitatibus expiatos, et adversitatibus expeditos. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

INNOCENTII III PAPÆ

HYMNUS

De Christo et beatissima Virgine Maria dignissima Matre ejus:

Ad quem certas et magnas contulit remissiones et indulgentias.

Ave mundi spes Maria,
Ave mitis, ave pia,
Ave charitate plena.
Virgo dulcis et serena
Sancta parens Jesu Christi
Electa sola fuisti.
Esse mater sine viro,
Et lactare modo miro.
Angelorum imperatrix,
Peccatorum consolatrix,
Consolare me lugentem,
In peccatis jam fetentem,

C
Me defende peccatorem,
Et ne tuum des honorem,
Alieno et crudeli,
Pecor te regina cœli,
Me habeto excusatum,
Apud Christum tuum natum:
Cujus iram pertimesco,
Et furorem expavesco
Nam peccavi illi soli.
O Maria Virgo, nol
Esse mihi aliena,
Omni gratia tu plena.